

Kreis Paderborn

S. 156

1247 September 25 [in crastino Conceptionis Johannis Baptistae]. [49]

Der Elekt Simon v. P. verkauft dem Kloster Hardehausen einen Zehnten unter bestimmten Bedingungen.

Symon Dei gratia Paderbornensis electus omnibus hoc scriptum inspecturis utriusque vitae salutem. Noverint omnes huius paginae auditores, quod cum a venerabili patre et domino S(ifrido) sanctae Moguntinae sedis archiepiscopo et a domino Petro ad Velem aureum dyacono, vocaremur, ut ad eandem curiam pro necessitate universalis ecclesiae edictam expensas necessarias haberemus, decimam in maiori Dasberch¹⁾ ad mensam nostram pertinentem ab antecessore nostro domino Bertoldo de Brakele pro nonaginta marcis obligatam, de qua pecunia idem Bertoldus triginta marcas liberaliter relaxavit, abbati et conventui in Herswith(ehusen)²⁾ pro medietate vendidimus, nobis pro precio triginta marcis constitutis, cum quibus eadem decima fuit totaliter liberata. Item plaustratam vini, quam dictum monasterium habuit de Paderbornensi episcopo annuatim, nobis nostrisque successoribus relaxarunt. Verum si in posterum episcopus Paderbornensis, qui pro tempore fuerit, videbitur in venditione huiusmodi Paderbornensem ecclesiam laesam esse, vinum praescriptum sicut consuetum erat, tunc solvere incipiat annuatim, prius tamen sexaginta marcis monasterio in Hersvid(ehusen) restitutis, et a venditione praescripta taliter sit recessum, et medietas eiusdem decimae ad dominium pristinum Paderboruensis episcopi et ecclesiae libere revertatur. Igitur praefata decima aliam medietatem eisdem videlicet abbati et conventui in Hersvedeh(usen) pro octoginta marcis titulo pignoris vel ypothecae obligavimus in sortem fructibus computandis; et quando idem monasterium de fructibus medietatis decimae ad aestimationem octoginta marcarum receperit, illa medietas ad pristinum dominium episcopi Paderbornensis ac suaec ecclesiae revertetur. Quia vero nos Henricus prepositus, R(abodo) decanus et capitulum Paderbornense omnibus praescriptis consentimus, etiam huic scripto sigillum ecclesiae nostrae duximus apponendum, consentientes et rogantes, quod venerabilis dominus Gerhardus sanctae Bremensis ecclesiae archiepiscopus, qui praemissis etiam interfuit, ad ampliorem evidentiam sigillum suum apposuit. Actum in ecclesia Paderbornensi anno domini MCC quadragesimo septima in crastino Conceptionis Johannis Baptiste.

VII, 53sq. — Collatum cum suo originali a. 1662 Mart. 4; duo sigilla integra, 3. perit.

Druck unvollständig Schäten ad ann. Dazu die nicht ganz zutreffende Be-merfung W. U.-B. IV, 387 Anm. 4.

¹⁾ (Das frühere) Großdaseburg b. Warburg. Blöchr. 37 II, 118.

²⁾ Ursprünglich Hersvith; darüber geschrieben —videhusen.